



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Jacobi Alvarez de Paz Opera**

De Exterminatione Mali, Et Promotione boni - Libri quinque

**Álvarez de Paz, Jacobo**

**Lvgdvni, 1613**

De religiosis functionibus ritè præstandis. Cap. 19.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77843](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77843)



diturus. Munus iudicandi, munus Dei est, munus est maiorum, quibus ille facultatem gubernandi commisit: si tu nec Deus es, nec Prælati tuo præpositus es, quomodo audes illum iudicare, & falcem in alienam messem mittere? Te ipsum potius iudica & reprehende, quod saluberrimum est, & à iudiciis aliorum, præsertim maiorum, abstine, quod frangere periculosissimum est.

*De affectu filij erga religionem.*

CAPVT XVI.

**A** C erga Prælatos: at erga religionem seipsem quoque custodies. Religiosam familiam, ad quam à Domino vocatus es, ut piissimam matrem diligas. Id sanè virtus gratitudinis exigit, & profectus tuus, ac ipsius religionis conservatio requirit. Deo te ad vitam religiosam vocanti, & in ea te custodienti, gratus existas necesse est, ne ut ingratus (quod abominabile & pessimum est vitium,) aut tanto dono spoliaris, aut illo sine spiritus emolumento fruaris. Gratus autem eris, si hoc extremum beneficium agnoscas, & in magno pretio habeas. Habebis autem, si religionem tuam esse matrem aspicias, quæ te in vtero tyrocinij concepit, in professione parturivit, lacte doctrinae nutrit, pane virtutum refecit, in statu honoris constituit, & æternam hereditatem præparavit. Sic etiam mirum in modum proficies, quia dilectio & affectus iste faciet, ut religiosam disciplinam non molestam, sed gratam, non gravem, sed suavem existimes, eique te diligenter accommodes. Sic tandem religio per te suum decorem & splendorem non perdet: nam & filij affectus à te postulat, ut puritati status tui consulas, & nihil regulæ contrarium admittas. Ne putas autem (ut quidam stultè cogitant) hunc filij affectum exigere, ut tuam religionem immoderatè laudes, ut eam insipienter aliis præferas, ut in publicis consensibus ad primas sedes aspireas. Hæc ridicula sunt, quæ stulti faciunt. Sed id exigit affectus filij, ut in omniloco bonum exemplum præbeas, ut tui status circumspeditionem necessariam custodias, & per humilitatem omnibus te submittas.

*De custodia Regula.*

CAPVT XVII.

**V**NC ergo affectum filij habebis, si sex alia, quæ subiungam, observaveris. Esto igitur custos regulæ & instituti tui, quoniam ista te custodient, & matrem tuam venerabilem, scilicet Sanctam religionem, indicibili exultatione afficient. Mater gaudet, si filios suos valere, & opibus abundare, & apud aliquem Principem in honorabilissimo loco haberi sciat. Regulæ autem custodia salus est animæ, divitiæ custodientis, & familiaritatem parat apud Deum observantibus illam. Matrem ergo lætitia perfundis, cum regulam, ac maiorum scita custodis. Hæc observantia te perfectum faciet, te filium honorabilem religionis, & dilectum constituet, te fratribus amabilem, & Dæmonibus terribilem, & Angelis similem reddet. Quia sicut illorum gloria est Deo parere, ita & tu gloriam existimabis, Deo in his quæ per religiosum institutum statuit, obedire.

*De bono nomine religionis quaerendo.*

CAPVT XVIII.

**B**ONUM religionis nomen tibi quaerendum est, ut qui tot ab ea beneficia recipis, saltem in hoc eidem proficius existas. Ita autem hoc bonum nomen, bonamque opinionem in cordibus aliorum feres: si nihil, præsertim coram sæcularibus, indecens indecorumque facias, vel loquaris. Si cum illis agas quantum necessitas, aut prudens charitas postulaverit, & nihil amplius. Si eis quæ domi sunt, nequaquam detexeris, præcipue si minimum quid (ut fieri posset) discordia, aut minoris submissionis contigerit. Si eos intra claustra cœnobij, aut multo minus intra cellam non admiseris. Si te libenter semper vixisse, & adhuc vivere sub disciplina religiosa, pronunciaueris. Si erga Dominum, qui te vocavit, animum gratum ostenderis. Ac tandem si sæculares in te (quantum fieri possit) virum spiritualem & religiosum videant, & nunquam hominem, id est, te affectibus servientem, aspiciant. Hæc generaliter sunt, quæ apud alios bonum nomen religionis gignunt & servant.

*De onere religiosa disciplina ferendo.*

CAPVT XIX.

**R**ELIGIOSA disciplina ferendis suavis & dulcis est super mel & fauæ, sed tepidis solet esse amara & onerosa. Non quia ipsa per se aliquid molestiæ contineat, sed quod animus agrotus palatum cordis pravis affectibus infectum habeat. Tu si aliquando tentatione pulsatus molestiam in custodienda disciplina senseris, eam à te abicere ac removere curato: sicque animam tuam ad disciplinam servandam & onus ferendum, incitabis. Nemo in republica est, qui non molestiam aliquam patiat: pauper mendicitate premitur, dives spinis divitiarum compungitur, ignobiles, veftigalibus & tributis, nobiles bellorum periculis, & duris Principum obsequiis onerantur. Qui aliquid cupiunt, (& quis est in sæculo, qui vana non cupiat?) ex desideratorum absentia dolorem sentiunt. Nullum est munus in hac vita, quod molestiam annexam non habeat, & quo maius est, eo duriori labori subiicitur. Si ergo homines propter bona peritura tot molestias & afflictiones sustinent: satis delicatus eris tu, si propter regnum cœlorum parvam molestiam tuo statui adiunctam non feras. Equanimiter igitur eam sustineto, & pro ea fugienda nunquam disciplinam deseras: quia quanto magis laboraveris, tanto in cœlo maiori præmio perfrueris. Et disciplina ipso usu dulcescit, & omnis molestiæ expertus efficitur: qui verò se non vincit, & propter modicam difficultatem, observantiam fugit, maiori quotidie molestia triftatur.

*De religiosis functionibus ritè præstandis.*

CAPVT XX.

**H**A, quæ ad religiosam vitam pertinent, cuiusmodi sunt oratio, psalmodia, lectio, meditatio, Missæ celebratio aut auditio, Sacra-



mentorū vsus, conscientiaē examinatio, & alia huiusmodi, rectē diligenterque praestabis. Nam his bene praestitis, virtutes auges, feruorem prouehis, peccata multa leuia declinas, & quotidie melior ac purior efficeris. His verò malè & oscitanter factis, in dies tepiditatem foues, & statum animae spiritua- lem (vt experimento compertum est) nihil promoues. Operibus istis, o frater, Deo ipsi famularis, qui Rex magnus est ac Dominus potens, non decet verò seruum, qui aeternam mercedem à tanto Rege pro suis obsequiis sperat, illi tepidè oscitantēque seruire. Mater tua religio Sancta in veris & strenuis filiis suis religiosa opera diligenter praestat, ne socordia & negligentia tua illam labores filiorum Domino offerentem, aliquo rubore suffundas. Pudet enim illam imperfecta opera offerre, & fructus putridos Domino consecrare.

*De bono exemplo fratribus dando.*

CAPVT XX.

**M**NIBVS tum externis tum domesticis bonum exemplum praebere curato, & sanctitatis odorem spargere, vt bonus Christi odor tactus in omni loco eum, non solum tuo, sed omnium ore collaudes. illum enim ore etiam & corde eorum laudas, quos vitæ tuæ puritate ad laudandum inuitas. Hoc autem assequeris, si in bonis operibus, quæ ostenderis, & in circumspectione, quam seruaueris, non tuam, sed Domini laudem gloriamque quaeris. Nihil igitur apud alios facias, ex quo scandalum aut offensionem accipiant; nihil, ex quo anam liberius viuendi capiant; nihil, ex quo aliquid contra institutum, aut communem viuendi vsum introducant. Considera te membrum esse totius religionis, & sicut vnum membrum non nihil incommodi patitur propter bonum totius, ita & tu disce aliqua incommoda dissimulare, in cibo, in potu, in veste, in cella, & aliis similibus, & aliquid penuriae & molestiae pati, vt sanctam religionem, sicut eam inuenisti, discretè seueritatis amaritatem, & abstinentiae & paupertatis cultricem relinquant.

*De rebus temporalibus curandis.*

CAPVT XXI.

**R**es temporales, vt vestes, libros, & similia, nullas habebis proprias: quia hoc paupertati à te Deo promissæ repugnat. Ad vsum verò tibi à religione concessas, non vt proprias (siquidem earum dominium non habes) sed vt alienas, (vt verè sunt) & mutuo datas accipies. Sicut enim re tibi commodata ab aliquo, & ad vsum pro tempore determinato concessa, ita vteris, vt quam minimum detrimentum accipiat, quo eam possis illam restituere: ita & res cœnobij, quæ ad vsum tibi datæ sunt, diligenter & curiosè tractabis, vt multo tempore durent, & si ad aliorum vsum deuenierint, sine horrore illis vti possint. Id paupertas, quam professus es, experit, immò & religiosa urbanitas poscit. Qui enim res sibi ad vsum datas incuriosè atterit, & turpat, & infumit, pauper non est, & qui aliorum, qui easdem res postea ad vsum vendicabunt, nullam rationem habet, satis inurbanus & inciuilis est.

*De cogitando Deo in fratribus.*

CAPVT XXII.

**I**s septem erga religionem in qua viuimus, seruandis, breuiter expositis, iam ad quartum septenarium eorum, quæ erga fratres seruanda sunt, accedamus. Ac primò in fratribus tuis non tam hominem quam Deum aspiciere & cogitare curato. Deus namque in omnibus rebus, sed præcipuè in creatura rationali ac intellectuali, per essentiam, præsentiam, & potentiam inhabitat: quare æquum est vt in cunctis rebus, sed præcipuè in hominibus, Deum inspiciamus. Sicut ergo cum regem scis sub cortina latere, non multum de cortina curas, sed regem latentem, teque contuentem consideras: ita cum fratrem vides aut alloqueris, non tam eius aspectum oculis carnis, quam Deum in eo habitantem mentis oculis intuearis. Hoc assequi magnum Dei donum est, quo nec erga iuuentutem & pulchritudinem personarum afficeris, neque à senibus, & decrepitis, & ægrotis abhorrebitis, & miram animi puritatem comparabis. Et fiet paulatim in te quidam sublimis spiritus orationis, ac diuinæ familiaritatis, quo in Deum semper affectu eas, & inter homines solum viuas. Et nos scimus, quia multo facilius est hoc scribere, quam actione præstare, sed potens est Deus nostris piis conatibus pro sua voluntate fauere.

*De dilectione fratrum.*

CAPVT XXIII.

**R**ECONDARE præceptum Domini esse, Diliges proximum tuum sive fratrem tuum sicut teipsum. Quod præceptum illi maximo dilectionis Dei mandato simile dictum est, quoniam & dilectionem præcipit, & Dei causa habendam præcipit, & sua amplitudine omnia mandata comprehendit. Cum scriptum sit, [qui diligit proximum, legem impleuit.] Diliges ergo vero & puro amore fratres tuos, & diliges non propter lucrum, non propter aliquid creatum, sed propter Deum tuum. Hoc autem præstabis, si fratres tuos in corde tuo non contempseris, si non temerè iudicaueris, si eis non oblocutus fueris, si nec verbo nec opere malum intuleris, si pro tua possibilitate inuaueris. Denique si illud impleueris: Quod ab alio oderis fieri tibi, vide ne tu aliquando alteri facias. Et, Pro vt vultis vt faciant vobis homines, & vos facite illis. Neque erit hæc dilectio tibi difficilis, si in fratre Deum fueris contemplatus, si eum à Deo diligere ac in magno pretio haberi cognoueris, si fratrem, id est, Dei filium ac matris Ecclesie, & ad gloriam destinatum, & tibi vtilem esse putaueris.

Iob 4.16.  
Luc 6.31

*De affabilitate erga fratres.*

CAPVT XXIV.

**C**ONGREGATIONI pauperum ait Ecclesiasticus, affabilem te facito: videtur autem tecum loqui cum propter Christum te pauperum religiosorum congregationi sociaueris. His quibuscumque viuus quantum charitas & disciplina re-

Ecclesi 4.7

ligiosa